

P V I S



1 6 0 3

εὐφημία.

ad

Illustrissimum & Fortissimum, Heroem, ac
D. D.

CHRISTIANVM

PRINCIPEM ANHALTINVM, CO-
mitem ASCANIÆ Dominum Ser-
uestæ ac Bernburgi &c. Germanicarum
copiarum contra hostes Veritatis, Fi-
dei, & Iusticiæ, bello Gallico &
Alfatico ductorem,

Scientiâ rei militaris,

Virtute,

Auctoritate

Præstantissimum, perpetuæ

Felicitate

dignissimum.

In Patriam reducem

Scripta ab

Alberto Voito, Borusso,

SERVESTÆ,

Excudebat Bonaventura Faber,

Anno 1593.

St.



Amplissimo
SENATI
COSS. Q.
Reipub.
ASCANIENSIS

uiris
Prudentissimis, Clarissimis,
Doctissimis,
Dominis & amicis debita obser-
uantia colendis,

B.P.M.L.M.Q. D.D.
Albertus Voitus.



D iis genite, & geniture Deos CHRISTIANE! Iehovæ
Qui sacra pura colant simul, & sint gloria MARTIS:
Si nunc CHRISTIANVS, si nunc ille aureus Heros
Viueret, ac numen terris, velut ante teneret,

Quos (o!) quos plausus, quæ gaudia, quosve paratus,
Qualue operum impensas Germania vestra videret?

Principio, ipse tibi Dux maximus ipse superbo
Ante alios sublimis equo, totusq; coruscis
Auro collucens armis, galeâq; tremendus,
Diuinoq; grauis vultu, sat cetera clemens,
Regni extra patrii fineis, saltusq; profundos,
Vi multa procerum, multa stipatus opum vi
Viq; virum toto spirantum pectore Martem,
Septus, in occursum quantis conatibus iret?
Iret, & augustas Augusto pectore voces,
Augustos secum motus versaret & astus:
Testatus quibus ingentem virtutis amorem
Te rursus exciperet, patriis te redderet oris,
Ipsius auspiciis tanta in discrimina euntem.

Mox, si quam procul ante oculos, si fortè virum quam
Prospiceret cupidus glomerari puluere nubem,
Præciperetq; tu o florentes Marte catervas,
Flagrantemq; animam, & cognati sanguinis haustus,
Spirantelq; faces, diuinaq; semina mentis
Eminus arripiens tibi se misceret anhelò
Corde (velut procul afflatum magneta lacepsens
Affluit & rapido hunc mirando foedere ferrum.
Aut velut aduersi facie flammante Pyropus,
Solis inardescit radius & concipit igneis)
Quod votis optamus adest venit unicus, vnus,
En! venit alter ego, (incipiat) venit: jlicet adsum:
Iam iam nulla mora est: venit: ocyus inde morantes

Exsultantis equi frangens calcaribus armos,
Et prior antevolans, in divum divus amicum,
Clangentes inter lituos fremitusq; tubarum,
Hinnitusq; feros & fulmina athena tuborum
Inflammantum animos & fulgura læta vomentum
Irrueret sese: ac, resolutis pene medullis
Affectu, influeret fraterni pectoris arcem
Externatus, ut herous cum voce tumultus
Luctantes intus premeret subitoq; cieret:
Donec & inveniens vox præconcepta meatum,
Quæsitamq; adeò per tot iussa ardua mentis
Condensata viam rumpens, hanc pectore ab imo
Duceret, hanc grandi tibi diceret ore salutem.

Venisti tandem? tuaq; exoptata tueri
Ora datur? curasq; tuo sermone leuare?
Quid Rex CHRISTIANVS? vivit? & vescitur auras?
Numquid eum tandem clementior aspicit æther?
Nunquid & eventus habuere optata secundos
Nostra uti jam votis responsent sidera nostris?
Sin neq; vota valent, votis meliora valebunt
Fata tamen: siquidem totus de numine pendet
Et sub præsidio latet omnipotente Iehouæ.
Cujus opes tantum miratur, ope mq; moratur:
Ipse aderit, veniens qua non sperabitur horâ.
Sed quas te clades quanta in discrimina missum
Accipio? quantis jactatum Diue periclis?
Vix mihi, vix tali potui te credere functum
Turbine, de tanto salvum emerfisse tumultu.
Quam metui? ne quid ne forsan nostra nocerent
Iussa tibi: siquidem quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus, primò certamine posset
Non ignota mihi: & vobis nihil usq; relictum est,
Omnia patraastis, iussa exhausta omnia vobis;

At

At nunc quando diem procedere iussit olympo
Hanc quoq; lova pater: quia te mea maxima cura,
Accipio (Regnis: age dum!) succedito nostris:
Fas est, fas tanto curas animumq;, recepto
Speratumq; diu transmittersse tempus amico.
Hæc fatus medioq; Heros Celsissimus inter
Te fratremq; loco gemina inter fulmina belli
Incedens, oculosquè virum sensusq; lequacis
Pace suâ, virtute tua Fratrisq; (ut ab ipsa
Gente tui, sic mente sui) Mauorte, togâq;
Sollicitans, urbes latè populosq; superbos
Spectatum exciret: tibiq; omnia serua haberet,
Templa, Scholas, artes, arces, Vrbesq; serenans:
Lustra, agros, pagos, syluasque, virosque fatigans:
Quem circum, Fraterquè tuus, tuq; inclute rerum
Instares, qualis Phæbi radiantis ad axem
Lucifer ante diem, ante suam nitet Hesperus umbram,
 Omnibus in templis, aris, altisq; cathedris
Quas hodie probris translata Seriphus inundat,
Lætæ exaudiri voces, dignæq; sonarent
Pro reditu grates, Princeps fortissime, vestro,
Nec secus acciperent reducem, quàm Roma Camillum,
Quàm Marium, victis Latij sub limine, Cymbris:
Aut quam Scipiaden superato denique Pæno,
Venit io! CHRISTIANUS io! vox omnibus una:
 Aonidesq; Deæ ferrent sacra carmina, totusq;
In vestris Helicon ausis sudaret, & Orpheus,
Quamquam marmoreus si quis feret, aut Amphion,
Seu quis Leucoreus inter Delphinas Arion,
Prælia Moconio tua conderet ardua plectro:
Musarumq; chorus tibi passim assurgeret omnis,
Te culmen patriæ dicens, fulmenq; per hostes.
Te decus & florem Heroum, solemq; virorum

A,

Te

Te columen, lumenq; vocans, numenq; Deorum
Celitus hoc tanto rerum discrimine lapsum,
Vsq; adeo gratus, Princeps Diuine, uenires.
Qualis ubi patrios remeans novus ales ad oras,
Purpureus Phoenix, quacunq; adremigat alis,
Latifono excipitur plausu: gens aduolat omnis:
Indigenæ admirantur aves, & gutture circum
Instantes, formam, & pietatem ad sidera tollunt.
Ægyptusq; omnis tanti ad miracula monstri
Confluit, inculpens sacrato in marmore factum.
Quas inter laudesq; virum, lingualq; faventum,
Carminaq;, & latus voces, vel me quoq; doctæ
Vel me Pierides facerent fortasse Poëtam,
Vilis ut argutos inter streperem anser oloneis,
Tuq;, humilem quamuis, sineres sacra tempora circum
Inter victriciis hederam tibi serpere lauros:
Quam tibi Musa tuo è gremio super æthera tendens,
Necteret, ac tecum imparibus se tolleret alis.
Sed quid ego hæc autem nequicquam optanda reuoluens?
Fraterno (heu) vivum sub pectore lancino vulnus?
Quin imò (ipse meis quia nam facis oia Musis
ASCANIO generate Heros! præstasq; Patronum,
Exsulium auxilio pensans: recipisq; clientem,
Præfectum docili in mores præceptaq; publi:
Hic ubi te diâs venientem in luminis oras
Oceanum haud metuens ARCTOS prospexit Olympo:
Abdias alter, portus, tutelaq; vatum,
Quos habuit quondam SAXO Enifer) ipse vicissim,
Si modò vena foret, si Musa, & dexter Apollo,
Sufficeret iustas in vota & carmina vires:
Iam potius nomenq; tuum, meritoq; triumphos
Carminè concinerem, quod nulla redarguat ætas:
Quod laudet præsens ævum, laudentq; nepotes.
Verum erit illa dies, neq; vanus dicar aruspex,

Qua



Qua vindex redeat Deus & bona causa triumphet.
Tunc equidem non hæc chatacea symbola vobis
Distribuam, & natos infausto sidere inertes,
Cosutos, duros, fusos sine Apolline uersus,
Pauperis ingeni monumentum & pignus inane:
Sed ditem tentabo Paron, spoliabo Donyfam:
Atq; triumphalem lapides orientis, ad arcum
Conquiram, TEMPLUMq; tibi, de marmore TEMPLUM,
Propter aquam vastis ingens vbi fluctibus vndat
Albis; & annosas educit in aëra quercus,
TEMPLUM, inquam, niveo ac solido de marmore ponam,
Magnum opus, æternum, cunctis memorabile seclis:
In quo pictor ego, redimitus tempora lauru,
Pictor ego, aut fictor, Victores omnibus oris
ASCANIOS, in quo victuros omnibus horis
Victurus statam, pugnatq; in ordine bella.

In medio mihi divus erit de nomine CHRISTI
Nomen & omen habens SAXO, templumque tenebit
Ensis ille heros SAXO, quo principe salvo,
Res equidem fidei salvas, tutalq; fatebar.
Quem juxta, dextaq; auro lævaq; corulci
Ascanii CHRISTIANUS agent BERNHARDUS & alter,
Et pietate pares & aperti fulmine Martis,
Religio circum, sanctoq; Ecclesia cultu,
Hinc Themis & virtus stabunt, & Mars piter: illinc,
Pieridum chorus, & docta cum Pallade Phœbus:
Stabunt & veterum effigies spirantiaq; ora
Majorum & simulacra Deum cælataq; in auro
Fortia facta virum: series ubi maxima patrum
Virtutem aspiciet vestram, laurosq; beatas
Tam divo imponet capiti: quod flore sub ipso
In tantum spe tollit avos, quod laudibus æquans
Astra, viam meritis jam nunc affectat Olympo.
Addam parjetibus REGIONES, maximaq; orbis
Imperia, addam vrbes cultas, populosq; feroces:

Veli

Veli volosq; vagi tractus maris, altaq; Ponti
Marmora : quæ fretus pietate & numine CHRISTI,
Pæne puer, recto vix jam vestigia talo
Firmans, vix primâ teneras lanugine malas
Signans, ast mentem monitis armatus honestis,
Lustrasti, CHRISTI fane, solo iactate saloq; :
Et mores hominum, cultusq;, habitusq; locorum,
Et quid quisquæ ferat populus, quid ferre recuset
Edidicisti : ut opes veras laudumq; parares
Materiem ac seriem, speculumq; exempla q; vitæ,
Atq; penum : vnde tibi semper depromere possis,
Quæ fugienda : quid & sit turpe, quid utile, quid non:
Ut prudens facienda probes, culpata relinquas,
Nil puerile annis ausus puerilibus : imò
Grande rudimentum ingenij, frugisq; futuræ
Edens : Maturum veluti generosa Leonum
Semina dant specimen falcato protinus vngui.
Aut veluti pennas simul ac sibi crescere sensit,
Præpes adunca Iouis, simul atq; adolescere rostrum :
Liberius jam radit iter, iam matre relicta
Altius ingrediens terras despectat inertes :
Et passim liquida plaudens spaciatur in æthra :
Inq; ipsum geminos soles Hyperiona figit.
Ergo addam Geticasq; urbes, vastæq; superbum
Regnatorem ASIÆ cum barbarico comitatu :
Pellit oq; Scythas, & Martia secla virorum,
Gradivumq; patrem, Thracum qui præsidet arvis :
Et caput imperii (Romanæ Bachidis astu
Translatum Phœbi nitidos surgentis ad ortus.)
CONSTANTINI urbem minitantem ad fidera tectis :
Hic ubi Martigenam, decora inter plurima, Thracis
Pars tibi laudis erat, dextram tetigisse tyranni,
Et coram viuas audire ac reddere voces :
Perfunctus donec mandato munere dulcem

In

In patriam, ducente DEO, ducentibus astris,
Te vario ex casu, rigidoque ex orbe reversum
Exceptit genitorque pius, simul incluta mater,
Diuorumque chorus, fratrumque, Charisque; sororum,
Et festos egere dies, superisque; litarunt.

Addam Asiæ celebres populos, gentesque; vetustas,
Diversos linguâ, diversos nomine & armis:
Paphlagonasque; Phrygasque; tuos, quos numinis instar
ASCANIVS quondam Trojæ sub mœnia duxit:
Confisumque; fugâ Parthum versisque; sagittis.
Hic juga Riphæis nunquam viduata pruinis,
Ismarus & Rhodope, proplorque; Oeagrius Hæmus:
Hic erit Euxjni, mendax cognomine Pontus,
Mœotisque; palus, tumidumque; Propontidis æquor,
Angustumque; Helles pelagus, memorataque; verlu,
Sestus & ostriferi fauces visentur Abydi.
Hic juvenis spectandus erit, spectandaque; Nympha:
Infelix juvenis magnum cui accenderat ignem
Sævus amor velut abruptis confusa procellis
Cæca nocte natet serus freta: ceu super ingens
Porta tonet celi: ut scopulis illisa reclamant
Æquora, nec miseri valeant revocare parentes,
Nec moritura super tam caro pectore virgo.
Hic latus Epiri, qua formidabile nautis,
Attollunt alto caput Acroceraunia celo,
Littoraque; Ionio passim pulsata profundo.
Vicino in spacio, vicinas protinus addam
Pœoniæ, Illyriæque; plagas faciamque; propinquos
Dalmatiæ fines, vastatos funditus agros:
Myforum inde solum, Dacorum hinc mœnia: quæ nunc
Moldaviique; colunt, Transalpinique; Valachi
Addam Carpathio septem quæ continet arces
Vertice munitis modo Transylvania campis,
Nec minus antiquos tribuam regionibus amnes,

B

Saxo-

Saxosæq; inter decurrent flumina valles:
Hic Hebrus, Strymonq; ruent, Nesusque fragoros
Cursum exercebit latices, sequè æquore condet
Ægeos: Hic & erunt mutati nominis undæ,
Oenusque, Dravusque, Savusque, vagusq; Tibiscus:
Ante alios volvens fluentes Ister arenas,
Hic celerem patriam ad pontum deducet Alutham,
Et juxta vitreis passim famulantia in undis
Agmina subsilient Nymphæ, ducentq; choreas
Nudæ humeros, passis per eburnea colla capillis,
Credo equidem agnosces quas tum peragraveris urbes,
Et vultus atque ora hominum: quæ dicta notaris
Ominaq; et memori succurrent plurima menti.
Te simul Eois nosces permixtus alumnis
Inter quos aliquis senior de gente virorum,
Triste jugum reputans animo, cædesq; nefandas,
Infantum cædes, cæsas matresque, maresque,
Multa gemens, multoque suos sermone requirens:
Nunc etiam Heroas, nunc & crudelia plorans
Fata virum, fortesq; Duces, fortemq; Serinum,
Mauritiumq; ipsum, Martis nodumq; moramq;:
Quem Scythici tremuere greges, quem Caucasus ipse
Horruit, atq; viro metuit concurrere turbas
Marte suas, vetuitque suas concurrere turmas:
Te simul ac vidit, quamvis nec nomine notum,
Nec facie: facie illustri tamen ardua cuncta
Confessum, Martemq; simul, puerumq; DEumq;.
Mox animum arrexit viso: mox talia secum
Fallor? ait, vel num quod pectore numen in illo
Sit dubito? sed inest en pectore numen in illo,
Nam quæ tanta tibi gravitas? quæ gratia frontis,
Ecquis honos? quantæq; vigent hoc pectore dotes,
Gratior & veniens tam firmo corpore virtus?
Exoriare aliquis germani sanguinis Heros!

Immersam

Immersam Scythico saturet qui sanguine dextram,
Quî Turcam Herculeas proturber ad usq; columnas :
Et nisi nunc me animus, nisi me cuncta omina fallunt,
Tu nobis, Tu talis eris, Tu restitues rem,
Quisquis es ! augusto prodis qui numina vultu,
Flos veterum, virtusq; Ducum; Salve incluta Pubes,
Ante annos animumq; gerens sensusq; virileis ;
Tu certe Tu talis eris, nec Teutona quondam
Vllo se tantum tellus jactabit alumno,
Seu pacem seu bella geres Mavortia, certè
Quidquid id est, video, non est mortale quod optas.
Dixit : et extemplo superum pater atq; hominum Rex
Omnia confirmans lævo tremefecit olympum
Fulmine : & illustri percurrit fulgure nubes,
Dans rata signa sui æthereo super axe favoris.

Parte alia ITALIAM faciam, cultissima regna,
Et foetam ingenijs tellurem atq; vberè glebæ :
Cui septum aereis saxosæ montibus Alpes
Prætendunt: mediamq; pater secat Appenninus
Dorsum immane solo : quem perfidus Hannibal olim
Diduxit, scopulosquè infuso rupit aceto,
Cum mare quod supra Ausoniam, quodq; alluit infra,
Tum septem geminis celebratam collibus urbem
Romam, urbem rerum Dominam gentemquè togatam
Efficiam : monstrumquè ipsum cui fulva tiara
Per caput asurgit triplici contexta coronâ.
Hic etiam Venerum pulcerrima mænia pangam
Visa tibi, visa omnigenum spectacula rerum :
Illic fundatas medijs mirabere in undis,
Altaq; marmoreas ad sidera surgere turreis,
Quidquid alit tellus, quidquid mare, videris illic :
Videris hîc inter medias cum moenibus vrbes
Ausoniæ egregias vrbes operumq; laborem :
Tot constructa manu præruptis oppida saxis

Pontifex Rom.

Montia.

B 2

Flumi.

Fluminaquè antiquos præterlabentia muros :
Hic monumenta quibus Saturnia terra superbit ;
Hic arces arcusquè Ducum, delubra, viasq;
Aspicias totidem ; quot amoena rosaria flores,
Æquora quot pisces, quot habet tuus Albis arenas,
Nec minus ipsi Itali te cernent, tequè vicissim
Te gravium veneranda senum, consultaq; turba,
Maturiꝫ ætate patres, te docta juvenus,
Te lætæ matres, pueri, innuptæquæ puellæ
Aspicient cupidæ simul, heu, quibus ignibus illæ
Ardebunt miserè, rapidoquè furore peribunt,
Ni subito injiciant generoso brachia collo :
Tu longè refugis contra : nec vana moratus
Ingressum contendis iter, celeriquè veredo
Alpinas repetisquè nives, Zephyrosquè citatos
Prævertis, Majâ genito, cursumquè volantem,
Oraq; Mercurio similis, vocemquè coloremquè
Auratos crines, & membra decora juventæ.
Parte aliâ texta ostendent aulæa BRITANNOS,
Reginamquè viris leges & jura ferentem
Ostendent Maurum ceu sternat is Anglica classe
Æquora ; ceu gemat immani sub pondere Pontus :
Ast simulac fuerit populis ad prælia ventum,
Rari apparebunt nantes in gurgite vasto,
Arma virûm galeæq; Hispanaq; gaza per undas.
At Regina gravi jam demum libera curâ
Tanti inter proceres ipsos Dux femina facti,
Ipsa triumphato palatia ad alta PHILIPPO
Flectet equos victrix cæsis insignis Iberis :
Te simul ostendent hæc ipsa in regna profectum,
Te, velut exceptus fueris : gratissimus hospes
Sceptra Caledoniæ moderanti maxima Divæ,
Responsa ut dederit responsa benigna petenti,
Gensq; infusa tibi velut affurrexerit illic

Susceptu m

Amplexari

Susceptum per iter, per rura, per oppida passim
Alcidem Phœbūmq; putans: tibi enim Herculis artus
Certè animum Deus ipse dedit, tibi Apollonis ora:
Fortior ut neq; te, neq; te sit pulchrior alter.

Ad latus Arctoum porrò septemquè triones
Aspicias DANAUM junctos tibi sanguine Reges,
Cimmeriosq; sinus pelagi, divæq; sororis
Aspicias thalamos Boreæq; asperrima regna:
Hic ubi virtutemq; tuam, laudemq; decusq;,
Arctoi videre duces, gens vidit & omnis,
Vidit & obstupuit: Seu tu (fortissime!) circo
In medio, circum illustri splendente corona,
Et populis longo claudentibus ordine campum,
Æripedi jam frena dares: seu tardius ire
Iussisses celerem & pressis parere lupatis:
Sive opus angusto curvoq; invertere gyro,
Seu laxo remeare sinu, seu quadrupedantem
Insultare solo, & gressus glomerare superbos,
Impete seu recto appensum decurrere ad orbem,
Omne ferens punctum: Seu jam quoq; lancea dextram
Implebat: lateriq; hærebat aheneus ensis:
Seu validis quoties confractum hastile lacertis
Projiciens, rapidum surgebas victor in enses:
Hic toties variò varii in certaminis æstu
Vi simul Hector eras sub casside: casside demta
Visus es Æneæ de sanguine pulcher I V L V S:
Quin imo, quadrupes, quoties tibi terga locasset,
Iple etiam veluti sub dio pondere gaudens
Lætitiæ nova signa dedit: facilisque levisque,
Insolitis toties hinnitibus impulit auras,
Sessoremq; genu flexo suscepit ovantem,
Præcipue quoties pugnae simulacra sub armis,
ASCANJi inventum Trois de nomine TROIAM
Spectantes latè proceres, populumq; doceres,

B 3

Osten-

Ostendens, & quid valeat per ludicra virtus.
DEGENERES ANIMVS RESES ARGVIT: heu! quibus
Iactatus terris, quæve æquora perlustrasti? (ipse
Et quæ terra tui fuerit non plena laboris?
Nescia vel decoris, vel non modò conscia famæ?
Quæve invisa tibi regio? quæ incógnita gens est?
Seu prope, sivè procul jaceat, seu vergat ad Arcton:
Seu qua se tepidos radiis deflectit ad Austros,
Quâ simul Oceono ferventes abluat axeis
Quaq; coloratis Titan reparatur ab indis.

Et mihi Dulichium jaçtent jam carmina vatam
Prisca ducem? jaçtent captæ post mænia Trojæ,
Qui mores hominum multorum inspexit & urbes:
Fabulæ erant: vel si quid erant (velut omnia prisci
Amplificare solent vates) tamen illius impar
Est et iter, collata tuæ nec gloria compar.
Viderit is Troiam, Simöentaq;, et lion ingens,
Sirenum cantus & Circes pocula norit:
Viderit & sævos Læstrygonas atq; Cyclopas:
Vimq; DEûm infernam, loca nocte silentia latè:
Te tellus quàm Thraces arant, teq; incola Ponti,
Sauromataq; truces, attritaq; faxa Prometheo,
Te regnum Italiae vidit, te Tybridis ora,
Tequè Padus, superiquè maris te littus & imi.
Te (velut ASCANij genitorem) limen Averna
Bajani stupuit, juga te bacchata Vesuvi,
Te rigidi Boreæ tractus, te te ultima Thule
Vidit, & invidit patriæ tam nobile lumen,
Virtutesq; tuas populos ediscere julsit.
Sed Laertiadæ minor es tamen inclute princeps,
Quandoquidem vates tibi non contingit Homerus
Qui jam digna tuis condens monumenta reponat
Gestis & longo texens preconia versu
Æterno inscribat tua nomina carmine cedro

Scilicet

Scilicet hæc vera est virtus, certissima virtus:
Ingenium ingenijs formare atq; artibus artes
Moribus & mores excudere, factaq; factis,
Et sic in patriam multa cum laude reverti:
Præcipuè si cui pietas comes addita semper
Astiterit: Si quis genio duce, sanguine ab ipso
Imbiberit rectum & Sophiæ monumenta, sacrasq;
Iam teneat, ceu tute etiam doctissimus artes:
Linguasq; historiasq; inventaq; prisca sopherum
Calleat & doctis valeat contendere dictis.
Ne (quod sæpe quidem fieri in plerisq; videmus)
Strymona qui petijt grus longo tempore, is idem
Strymone grus redeat: currensq; subinde per æquor,
Sæpe quidem celum, ast animum non mutet inertem,
Ecquid enim patrijs tantum subsistere nidis,
Quid semper residem scopulis hærare in iisdem
Quid juuat? & privos tantum jactare Penates?
Propter humum volitare, alio neq; fidere celo?
Fallor? an is statuæ, truncoq; simillimus Hermæ
Vix oculis homines audet civesq; tueri,
Vix oculis pater ipse suum satis aspicit æquis?
Nobilior contra rapidi mens æmula celi
Perpetuo gaudet motu, voto audet ad ipsum
Ire polum, lustrare solum, tractusq; per omnes
Sese perficere, exactamq; absolvere ad unguem.
Sic censura viris, sic vitæ norma paratur,
Exemplo monstrante viam, per maxima mundi
Regna per & populos hominumq; opera atq; labores:
Sic varijs longo mores discuntur ab usu:
Sic animi vires format Sapiencia: sic &
Accedit fato rerum prudentia maior
Accedit Gravitas, atq; Experientia, & omnis
Virtus adversis rerum immerfabilis vndis:
Ut nihil hic Fortuna queat, nil terror & error.

Nil

Nil Martis valeat, nihil inclementia mortis
Nil vis efficiat, nil Dis, nil deniquè Fatum.

Hæc animaduertens in te, dum vita manebat

CHRISTIANUS patriæ pater Imperio Ensiser Heros:

Et tua miratus prestantia pectora, Divûm

Te fratrum ascripsit numero, fratremq; vocavit

Ipse suum: mentemq; tibi concreduit omnem:

Atq; utinam sacris illum, patriæq; tibiq;

Servassent pia fata (utinam modò carperet auras;

Non ita turbatæ res, non Germania præ se

Tam tristem ferret faciem, certamq; ruinam::

Sæpeq; consilium tecum de rebus iniret

Imperij, sacriq; status: Te sæpius vnum

Confectus patriæ curis, operisq; diurnis

Posceret attentè pendens narrantis ab ore,

Audiret: attentè pendens narrantis ab ore,

Narrantis, quæ jura viris quæ damna dedisses

Hostibus, in medios quoties moriturus Iberos

Irrueris, quoties tenui discrimine lethi

Extiteris: Regis Galli super omnia Regis

Fortunam adijceret, fatumq; haustosq; labores:

Nec prius in dulcem vertat sua lumina somnum,

Quam mores, quam dicta viri repetisset & acta,

Armaq; & Heroos tam celsi pectoris æstus,

Multa super **GALLO** medians, super **ASCANE** multa,

ASCANE, qui redit exuvias indutus Iberas.

Ecce ergo in foribus **TEMPLI** valvisq; dicati

LILIA jam cernes marcentia **LILIA**: cernes

Gallorum populos, & lamentabile regnum,

Regnum Teutonicæ gentis fatale sepulcrum:

Quod Rhodanus, quod fulcat Arar, quod proluit ingens

Sequana, piscoso, quod permeat amne Garumna,

Flumina fluminibus toties reperfata cruentis:

Quo divo cum fratre velut cum castore Pollux,

Mitteris,

Mitteris, augusto sic decernente Senatu,
Vt Regem, obsequium cui Martia Gallia debet,
Insignem pietate, insignem fortibus armis,
Insignem causæ bonitate, Deiq; favore
Adjutans armis arma auxiliaria jungas:
Vt belli nervos auri, argentiq; talenta,
Vt tela, ut superos tormenta imitata fragores,
Vtq; equitum turmas, fulgentes ære phalanges,
Ductoresq; virum adducas: causæq; piæq;
Pars sis militiæ, procuresq; oia regno;
Vtq; simul patriis detrudas finibus hostem,
Ignemq; gladiumque, & quæq; extrema minatum.
Hic cernes quanto compleveris omnia motu:
Non secus, atq; Deus quidam, quem machina versa,
Turbatis hominum rebus demittit Olympo.
Aut velut Eoi surgens de limine tecti
Phæbus, & elato referens temone jugales
Omnia lætifico latè loca fulgure complet.
Hic jam summa procul villarum culmina cernes
Hostili succensa manu fumare & in atros
Collabi cineres: hic (ecce!) videbitur ipse
Audiri fragor armorum, tonitruq; tuborum;
Tympanaq; & litui, permixtaq; buccina cornu:
Conflictusq; virorum, & feminei ululatus:
Cædendumq; ictus pariter, gemitusq; cadentum,
Diræq; clamorque & inania vota precantum.
Hic Dux, hic miles simul, hic furibundus anhelò
Horrendum ore fremet quadrupes, truncataq; in alto
Corpora, seminecesq; artus se sanguine volvent:
Confossi volventur equi, fessorq; rotæq;
Scuta virum, galeæ, gladiiq; ensesq; cruenti.
Quid loquar hastarum segetem? æratasq; bipennes,
Spicula, falcatos enses, clavasq; trinodes?
Hic Germanorum tormenta imitantia fulmen

C

Terribi-

Terribiles formæ stabunt: hîc curribus altis
Siphones, validisq; rotis: hîc ordine longo
Quæ subitò inflammata vomunt mortalia diros
Terribili cum luce globos, stygioq; profundum
Sulphure, & horrisono subtexunt pulvere celum,
Cernere erit; tremulosq; senes, puerosq; parentes
Amplexos, geminamq; sub ardua sidera matres
Tendentes cum voce manum, hostes inter amicosq;
Hîc ante ora patrum raptari ad stupra puellas,
Abreptasq; nurus templis, arisq; sacratis
Dilaniare comas, & plâgere pectora palmis: (rapere, illos
Hos premere, hos tremere, hos fremere, hos capere, hos
Aufugere, atq; aliò præreptam avertere prædam:
Omnia quæ nosti, quæq; ipse miserrima coràm
Vidisti, & quorum ante alios pars magna fuisti.

Namq; videbis, uti ductoris munia summi
Gesseris, ut belli præclara scientia pectus
Imbueritq; tuum, & sese, spectata, probarit:
Rebus ut in dubiis & Marte reluxerit ipso,
Non tam docta quidem: patrum quam sanguine ab alto
Ducta tibi, non tradita, sed tibi ab ubere succta,
Et nutu formata poli, firmata favor e
Celesti; tandemq; forâs genii impete, & acri
Naturæ jussu simul, & discrimine multo
Excita, atq; adeo prælustri in luce locata:
Ut, quamvis ævo, quamvis quoq; jure minori,
Cedere grandæ vos equitum, peditumq; Magistros
Nil pudeat tamen, atq; tibi committere primas
Imperii partes, arbitriaq; aspera Martis:
Neu gradus, annorumq; pudor senioribus obstet,
Ne iuveni parere velint: velut amne secundò
Pacatoq; mari, & rursus suadentibus Austris,
Quisq; gubernaculum affectat, clavumq; regendum
Postulat: Ast simul ac violentior irruit Eurus

Emoto

Emotoque fretum confurgit ad æthera fundo,
Tunc artes, tunc corda cadunt, tunc jurgia nautæ
Componunt, tunc & socii certamina tollunt
Contenti præfente D E O, meliore Magistro,
Quem cuncti clamore vocant, votisq; sequuntur.
Et certè non hæc virtus spectetur ab annis,
Aut vultu & cultu, aut generoso stemmate tantum,
Qua reliquis unus præcellit & esse supremus
Cernitur: Hos Deus, hos animos Heroibus addit
Ipse D E V S, qui corda virum, qui corpora fingit
De meliore luto: qui mentibus ipsemet acris
Subjectans stimulos, majestatemq; verendam,
Terrori miscens opera ad majora remittit
Terrigenas radiosq; suos partitur in ipsos:
Et vulgò, cætuq; Duces secernit inertes,
Illi ut sceptrâ gerant, velut hi data jussa capessunt.
Non vis, non numerus, non ars, non deniq; Mavors,
Hoc præstare queat: nec vulgi ardorq; favorque
Aspirare viris tam certi numinis auram.

Hinc fidum REX ipse sibi te legit amicum,
Te comitem & socium casus accepit in omnes:
Seu paret, aduersis hosti concurrere signis,
Sive opus aut Fabij studio, seu Marte Camilli
Frangere conatus diros: seu cingere vallo
Seu castris optare locum, seu ducere fossam,
Seu vigili custode suas munire phalanges
Malit, & hostiles speculatum exire latebras.

Te quoque nulla dies unquam tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit: tibi enim tibi maxima rerum
Verborumq; fides duris perspecta periculis,
Et quoties pro R E G E tuo caput atq; salutem
Objicis & cum te medios delapsus in hostes
Sensisti, noctis dum castra inimica per umbras,
LILIGER explorat, cui dum ceu fidus Achates

Is comes, & paribus curis vestigia figis,
Saucius (heu!) ardente globo, plumbicq; volucris
Turbine corripere, vulnusq; altissimè adactum,
Quâ dextræ pedis, articulo nervoq; sub ipso,
Continuò plantæ tarso committitur hallux.
Quis fuit, horrendos qui primus protulit ictus
Sclopporum? totis quo nil immanius armis:
Quo tener Astianax vel magnum sternat Achillem,
Quovè Neoptolemus magnum puer Hectora vincat:
Quo virtus germana fuit, quo maxima virtus
Fracta jacet, quo fama tacet, victoria, robur
Interiit, periitq; nec unde resurgere possit
Nunc habet: haud fuit humano de sanguine cretus,
At multo minus is germani seminis hæres:
Vel si fortè fuit, pudet esse hominem, pudet esse
Germana de gente satum, quæ condidit istud
Monstrum, horrendum, ingens, quo muri, arcesq; laresq;
Quo populi, gentesq; tremunt, manesq; profundi
Concipiunt pavidum trepidante Acheronte tremorem:
Nec vero CHRISTIANE tuo se vulnere quisquam
Iactavit: sibi vel de te promittere certam
Ausus erat palmam, nec aperto credere Marte,
Non æquo dare se campo, non obviam ferre
Arma viro, inque istam tecum descendere arenam,
Sed portis clausi æratis sinibusq; reductis,
Obsessi que cavis speculantur turribus hostem,
Hostibus haud tergo, sed fronte & pectore notum.
At vos, ò CELTÆ, sociati nomen IBERIS,
Si tanti vobis animi, si pectore robur,
Si veræ tandem, si quid virtutis habetis,
Aspicite hunc contra: insidiis neu fidite opertis,
Pectora pectoribus, vestras opponite vires
Viribus, arma armis obvertite, telaq; telis:
Denique militibus vestros, modo sistite nostris:

Qui

Qui quanquam exigui numero, quanquam agmine pau-
Vixq; adeo alternos, si congregiamini, habetis: (ci,
Dextra tamen Deus hic, & bello vivida virtus
Ostendet, quantum germano milite miles
Distet Iber, quantumq; æstus virtutis, & astus
Discrepet: & quantum molimina turpia, dextræ,

At REX interea casu perculsus iniquo
Ingemit, ingentemq; humeris attollit amicum
Ferrata alternos nitentem cuspide gressus:
Et quamquam ignescunt iræ, atq; ulciscier hostem
Præcipitant curæ, turbataq; vulnere mens est:
Nil tamen hinc lethale videns, ut vulnere læsam
Inspexit partem generosi corporis imam:
Incipit, & super his animum tali omine tollit:
Maeste nova fortuna, Heros fortissime, maeste!
Longævus bellator eris: tardusq; senesces,
Ut reor, & si quid veri mens augurat, opto:
A pedibus siquidem, non summo à vertice, primùm
Militiæ ponis tyrocinium, atq; futuri
Das Martis specimen nobis à calce cruentum:
Fallor: an Æacidam nobis præstabis ACHILLEM,
Vulnifico pariter qui tantum obnoxius imâ
Parte sui ferro, ast caput insuperabilis exstans,
Æternam egregia meruit virtute coronam?
Maeste Heros talos à vertice fortis ad imos!
Nec plura alludens, cum tu dicentis ab ore
Eripis (En) vocem, responsaq; mutua reddis:
Accipio augurium: ast de me pater ille Deorum
Viderit atq; omen præsentis numine firmet,
Nunc age, nunc quo fata vocant, divina sequamur:
Ipse equidem in casus omnes audentior ibo:
Arma viri, ferte arma viri. Quæ pauca locutus,
Ipso etiam ipso iras viresq; à vulnere sumens
Pescis equos, pugnamq; moves, hostemq; laceassis:
C ; Non

Non secus ac duris detonsa bipennibus illex
Per cædes, per damna virum, repetitaq; ab ipso
Ducit opes, animosq; fero per vulnera ferro.
Namq; aderant crebri, dederat quibus auctor Apollo
Scire potestates herbarum, artesq; medendi:
Stabant, prensabantq; tenaci forcipe plumbum:
Tu sed acerba fremens, ingentem acremq; dolorem
Suppressis, auxilioq; viam quæ proxima polcis:
Enle fecent lato vulnusq;, globiq; latebram
Rescindant penitus teque in fera bella remittant.
At nihil effectum medicis, nihil omnibus actum
Impensis: & adhuc in prælia Martia iturus
Sub pede concretam gestas cum vulnere glandem.
Nam neq; tardatus casu, neq; territus isto
Detrectas pugnam, vel in otia mollia lapsus
Indignam tanto committis principe culpam:
Nec tibi desidia cordi, nec pocula Bacchi:
Mars tantum, Pallasq; placet, quo præside discis,
Ferre famem, tolerare sitim, frigusq;, caloremq;
Usque pati, usq; breves sub dio carpere somnos:
Nec Venus in venis regnans te viderit unquam
Femineis altam illecebris submittere mentem.
Qualis Alexander, qui quanquam vincita trahebat
Agmina, femineumq; gregem, innuptasq; puellas:
Abstinet tactu tamen, & nec regia conjux,
Regia nec soboles, pueri innuptæve puellæ,
Quæve oculis, jecoriue queant inferre dolorem,
Nec quæcunq; solet talem fortuna movere,
Victorem, emovit generosi pectoris æstum:
Et certè (nisi quis forsan manifesta negabit)
Non bene conveniunt nec in una sede morantur
Marsque Venusq; diu: non Heros fortis Erosque,
Turpis Eros stabili aut diuturno fædere constant.
Quamquam etenim hîc (ubi fas confundunt arma nefasq;)
Omne

Omne licet quodcunque libet: nomenque putatur
Casta viris Pietas qui castra sequuntur inane:
Non tamen apponis tu celsam ad turpia mentem:
Turpia supponis pedibusq; & despicias alto
Pectore: nil fluctus ructusque moratus, & æstus
Quos ciet inferius ventris sub carcere monstrum:
Sed vitiis animus sublimior arce suâ stat,
Par superis, par ipse Iovi: quò nulla Cupido
Spicula dirus agat: quò nulla aspiret inertis
Tempestat Veneris: non Bacchi fæda voluptas
Munito valeant tormenta adhibere decoro:
Ceum pelagi in medio rupes, vastissima rupes,
Fluctibus, & multis circumlatrantibus undis
Mole tenet sese, Pontoq; immota resistit.
Aut veluti quâ se sub sidera condit Olympi
Parte quietus agit vertex, nec sæva furentum
Flamina ventorum, nec rauca tonitrua curat.

Ecce autem CHRISTIANE novus mihi nascitur
Ordo virum rerumq; operumq; immensa supellex ordo,
Sub manibus crescit, seseq; sub æthera profert. (P L O
Quæ, quia cuncta meo complecti, aut scribere TEM-
Nō valeo, omne latus siquidem, siquidem angulus omnis,
Ipsæ etiam valvæ, tua grandia gesta profantur.
A R A M (cogor enim) sacro: tibi insuper A R A M
Constituam, templique ipso sub limine ponam:
Et super imponam P A T R I Æ Germanidos oram,
Virgineumque habitum atq; viraginis ora gerentem:
Cuncta tamen Divæ similem, similemque Minervæ,
Hastamque, clypeumque, & rubræ cornua cristæ:
Quam juxta insignis formâ, fufusque labore
Phidiaco totus stabis fulgentibus armis.
Illa tibi sacrâ cinget sacra tempora L A V R V,
Quam neque livor iners, quam nec maris ira, nec ignis,
Nec valeat ferrum, nec edax abolere vetustas.

Ipsæ

Ipsa autem in clypeo Divæ pro Gorgone sæva
Monstrificisq; hydri, puro cælabitur auro
ARGENTINA viris præstans, & robore Martis,
Et flumen Rhenum, & turris cælabitur ipsa,
Horrendum nuper sævo collisa duello:
Dum GALLI foboles simul, & Iovis ARMIGER
Pastorale pedum & bifidæ redimicula mitræ (altus
Sacramque affectat, quamvis jure impare, sedem,
Impare successu, voto impare, & impare fato.

Nam quæ tanta tibi, nam quæ FORTUNA pote-
Ut, si Diva velis, fiat de principe præful: (stas
Horridus & rursus sacro de præfule miles,
Præfultorque feri in cædes & vulnera belli:
Credo equidem ætherium divina voce magistrum,
Qui solio extractus genitoris munia didit,
Hasce vices bis sex operum imposuisse ministris,
Cum totum instructos sacris dimisit in orbem.
Et quid ni variare vices, quid ni sapientem
Temporibus servire juvet: qui tempora certis
Ponderibus libravit: eum si bella vocabunt
Miles erit: si pax cessabit Episcopus armis,
Astraq; pacatum bellantem castra docebunt.

Sed nos bella vocant; vocat VRBS Mavortia ad arma:
Nam (dum cura viris, uter esset EPISCOPVS, utrum
Fata vocent, Vtrum niveâ tegat infula vittâ.)
Alsaticos intra latè pugnatur & extra
Seditione, dolis, ferro, atq; libidine, fineis:
Nec quisquam jam ferre queat Gallusq; priorem
Alituum Regina parem: sævitur utrinq;
Agminaq; incurrunt, oriturq; miserrima cædes:
Et quanquam ipse etiam belli præcidere causam,
IUPITER ac partes conjungi pace sequestra
Imperet, haud illi tamen haud absistere ferro.
Pastoresq; ipsi confusi turbine rerum

Stant

Stant taciti, mussantque metu, trepidique periclo
Committunt miseræ alternâ cæde bidentes.
Interea nemo tanto se opponere bello
Teutoniæ procerum velit: ac detrectat habenas
Quisque sibi ignotas: bellique eventa moratur,
Quis pecori imperitet? quem tota armenta sequantur
Spemque, metumque; inter dubij: dum denique Te, dum
Te faciunt CHRISTIANE Ducem, celoque relapsum
Patresque, proceresque vocant: Te poscere fata
Conclamant, patriæ tam tristi urgente ruinâ,
Te faciunt CHRISTIANE ducem, lucemque virorum,
Teque inhiant solum, in te oculos, in te ora reflectunt,
Quò relevent instans damnum, quo bella magistro
Tam violenta, queant tantamque euadere cladem:
Inte conuertunt cuncti sua lumina, & uno
Omnis in ASCANIO patriæ stat fama, salusque,
Virtusque & pietas & maxima gloria Martis.
Tu verò quamquam tanta in discrimina solus
Posceris, & nemo tibi se conjungere, nemo
Sustinet oppositum conuertere pectus in hostem:
Teque etiamnum, Heros, tua Gallia, diue tenebat,
Non tamen hic refugis, mediam non ire recusas
In mortem, & tanto caput objectare furori,
Dum modo te virtus jubeat, dum mille pericla
Vincat amor patriæ, ceterique immensa cupido:
Nam certè haud leve tùm patriæ, toti que periculum
Teutoniæ instabat, si tandem etiam ille furentum
Latronum si forte globus, furumque manipulus
Transisset Rhenum, superasset flumina Moeni,
Seque Palatinas jam diffudisset in oras,
Qua patet ingressu locus optatissimus hosti,
Nec certè tanto cessasset cardine rerum,
Oblitusque sui Lotharingus, Iberique fuisset:
Quamquam nec sic à nobis remeavit inultus,

D

Cæforumque

Cæforumq; rubent passim vicina fluenta
Sanguine adhuc: campiq; ingentes ossibus albent,
Tunc ergo vigilare decet, cum iam mala gliscunt,
Cum bellum in foribus vigilat: tum nostra laborat,
Nostraq; res agitur, paries cum proximus ardet.

Ergo tremor populos, terrorq; invaserat omnes
Tantus, ut ex agris fugerent in mænia villæ,
Vicinaq; arces, vicinaq; mænia in VRBEM:
Verùm VRBS ipsa tremit, multos tranquilla per annos:
Plurima perq; agros sternuntur, plurima passim
Corpora perque ædes, & relligiosa fœhova
Culmina: vastantur vineta, nec ullus aratro
Cultus adest: Squallent, occisis arva colonis,
Deniq; non furijs locus amplius ullus: ubique
Vis et furta Vigent, & plurima mortis imago.
Lurida, quin etiam Alecto, cristata trilingui
Angue caput, stygioq; manus armata flagello,
Visa est per pagos, visa est ululare per vrbes,
Bachariq; fremens per rura, per oppida, & arces,
Cui mors atra comes: mærebat Rhenus & agrum
Iam caput obscuris fugiens absconderat undis.
Quis verò tibi tunc cernenti talia sensus?
Quæ tibi tunc Martis rabies? quantusq; iuvandi
Ardor erat? quanto flagrabat numine pectus?
Ergo ades, auxilioq; venis, urbiq; propinquans
Ocyor & ventis, & fulminis ocyor alâ
Castra locas, hostemque vocas, hostemq; trucidas:
Restituis patriæ pacem (pax optima rerum
Quas versu memorare queam) patribusq; sacratiss
Iura sua, & leges, urbesq; arcesq; receptas.
Omnia quæ grandi fuerant dignissima plectro,
Mœonidæ plectro, augusto dignissima sceptrō;
Ipse ego deficio tanto sub pondere rerum.
Et, quid gesta opus est ea multo dicere versu

Quæ

Quæ populi, imò ipsi scopuli, quæq; oppida, sylvæ,
Quæ montes, fontesq;, & flumina vasta loquuntur?
Paupere qu'ilve ausit tua facta extollere Musa,
Diuite quæ nemo potis æquiparare camæna?
Tantum aberit, majora uti quis sperare canendo,
Iam queat, & tanto de lumine reddere fumum.
Quamquam etiam hîc Orpheusq; tuus, Diuiq; minores
Sudarint, tecumq; caput super æthera tollant:
Quæis nihil addo nisi, Augusto quod CÆSARIS uti
Te titulo, VENI, VIDI, VICI quæ, deceret.

Quo fessum CHRISTI fane rapis? quid pectore versas?
Quidve paras? nosco, quid sit: languere veterno
Abnuis: atq; situm mens tam generosa recusat,
Et patriæ pietas, ignaraq; cedere virtus:
Quæ requie frigescit iners, ignescit agendo:
Ac semel inflammata nequit mitescere: donec
Altius attollens, et te super ignea tollens
Sidera, fidereis sublato mentibus æquet.
Est etenim, est aliud, quod maxima fama per orbem
Differit, immensum facinus te pectore divo
Volvere, quod stupeat nostrum, stupeatq; futura
Seculum: & optare ingenti molimine bellum,
In scythicos bellum divini nominis hostes.
Quod si tunc etiam nostrum victoria Martem
Annuerit nobis multo cum sanguine Thracum
Advolitans: tua quo meritis, quo tendere virtus
Ulterius valeat? quæ laus, quæ gloria major?
Gratia quæ poterit, quæ carmina digna rependi?

Quamquam (o!) sat patriæ ingrata datum: & omnia
Præstita, quæ virtus, quæ lex pietasq; requirens (dudum
Nil lucrum, nec amorem, odiumve, aut otia curat.
At contra, o cives! (volumus modò vera fateri)
O cives, cives! referenda est gratia tantis
Pro meritis melior patriæ ducibusq;, DEI que

D ;

Agnoscentia

Agnoscenta tamen nobis sunt aurea dona,
Aurea perpetuâ superûm dignissima vitâ
HEROES: qui morte sua qui vulnere multo
Fortunas, pacem, vitam simul atq; salutem,
Hanc patriam, & quotcunq; boni nunc restat in illa,
Amisam, captam, raptamq; ex faucibus Orci
Restituunt: vitamq; in aperta pericula mittunt
Pro LEGE atq; GREGE: pro libertate suorum
Qualis & Heroum proles fortissima, Divus
ASCANIUS, nulli veterum virtute secundus
Sive toga, seu quis dextra experiatur & armis.
Ite ergo, ciuesq; simul, plebesq;, patresq;
Scipiades, en, vester adest: venit, ecce, Camillus,
Asertor vester, Patriæ vindexq; paterque:
Ite, virumq; humeris attollite, ferte coronas,
Spargite humum fertis, media arce locate tropæum
Ite Duces (si qua est meritorum gratia terris)
Ite Duces ipsi, venienti occurrite Divo:
Ite, reuertentem solenni inferte triumpho.
Sed quid mortales divina ad facta reponant?
Quidve Duces lenti? quid plebis inertia secla?
Nempe polo CHRISTIANE, polo tibi fama reposita est,
Gratiaq; humano nusquam exsolvenda paratu:
Et celo labor, atque alto tuus æthere sudor
Cælatur, manibusq; DEI, dexraq; notatur.
O fortunatam patriam te principe natam!
O Patriam ingratham! neq; tanto Numine dignam.

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





B.I.G.

Farbkarte #13

XXXI

30



in *Φημια*,
ad

um & Fortissimum, Heroem, ac
D. D.

CHRISTIANVM
EM ANHALTINVM, CO-
SCANIÆ Dominum Ser-
ernburgi &c. Germanicarum
m contra hostes Veritatis, Fi-
z Iusticiæ, bello Gallico &
Alfatico ductorem,
scientiã rei militaris,
Virtute,
Auctoritate
Præstantissimum, perpetuaq;
Felicitate
dignissimum.
In Patriam reducem
Scripta ab

Alberto Voito, Borufso,

SERVEST AE,
excudebat Bonaventura Faber,
Anno 1593.



et.